

/ Nos Robertus miseratione divina S.R/nae Ecclesiae tituli S/tae
Mariae in via Presbyter Cardinalis Bellarminus Protector Caelesti-
norum, testamur his patentibus litteris, nos ante quatuor annos cum
in Capitulo Generali Caelestinorum praesideremus et voluntate et
5 beneplacito Sanctissimi Pontificis Pauli Quinti instituisse refor-
mationem quandam pro Congregatione Caelestinorum, et eandem postea
obtulisse Caelestinis provinciae Gallicanae eamque (ut audivimus)
a R.P.Campigny tunc provinciali, ejusque subditis fuisse laudatam
et acceptatam. Et quamvis postea nonnulla monasteria intra Gallias
10 reformationem praedictam impugnare coeperint testamur tamen Cae-
lestinos qui in comitatu Avinionensi degunt, ex voluntate ac bene-
placito summi Pontificis et nostro Reformationem a nobis institu-
tam servare, et ob hanc rem non esse reprehendendos, aut vexandos,
sed potius laudandos, et protegendos. In quorum fidem presentes lit-
15 teras manu nostra suscripsimus, et sigillo nostro muniri jussimus.
Romae, ex aedibus nostris die 6/a Maii ~~1716~~ 1616.

R. Card/lis Bellarminus

Paris.Bibl.Nat. fonds franç. 15794 f.54. copie - Ibid.f.208 copie -

Ibid. f.209 Original. signat.autogr. cachet.

20

signé: Antonius Doctus secr/us de mandato.